Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26566
Copyright: Admont, Benediktinerstift

describunt. nullatenus illis benedictionem super
populum nisi episcopo presente interdicunt. Beatus quoque
ieronimus sancte romane ecclesie cardinalis presbiter qui
sub beato damaso papa et post ipsum usque ad sextum
successorem suum ecclesiasticis institutis studio
sissime invigilavit. ipse inquam rustico nar
bonensi episcopo de ecclesiasticis ordinibus scribens
presbiteros a benedictione super populum non prohibendos
esse asserit. Si inquit presbiter christum consecrat. cum in al
tario dei sacramenta benedicat. benedicere
populum non debet. qui christum meruit consecrare.
Et post pauca. Hoc in ecclesiis tuis presbiteri faciant.
quod rome sui. quod in oriente. quod in affrica
quod in hispania. quod in brittania. quod in gallia
quod in omnibus locis ubi humilitas perseverat.
Ex his ergo possumus conicere beatum damasum
papam huiusmodi benedictionem presbiteris illicitam. aut
penitus non dixisse. aut si dixit ecclesiasticam tamen
consuetudinem in hoc prevaluisse. precipue
cum ipsius verba ita possint intelligi ut
presbiteros doceret. quod eis quasi ex proprio officio